



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt nullus in dominicia die pro abstinentia ieiunet. xix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

voluerint continere. Quòd si in tantum eas abominantur, vt nec holera quæ cum eis coquantur existiment comedenda, tanquam non consentientes regula, ab ordine cessare debent.

De vigilis sanctorum. Cap. XVI.

Ex concil. Aureliã. cap. 1. **P**resbyteri cum sacras festiuitates populo annunciant, etiam ieiunium vigiliarum eos omnimodis seruare moneant.

De eadem re. Caput XVII.

Ex dictis Eusebii papæ, ca. 10. **V**T in Ecclesia à sacerdotibus ieiunia constituta, sine necessitate rationabili, non soluantur.

De hoc si euenerit fames, pestilentia, vel inæqualitas aeris. Caput XVIII.

Ex decret. Liberij papæ, ca. 2. **S**I euenerit fames, pestilentia, inæqualitas aeris, vel alia squaliscunque tribulatio, statim ieiuniis, elemosinis & obsecrationibus domini misericordia deprecetur.

Vt nullus in die dominica pro abstinentia ieiunet.

Caput XIX.

Ex concil. Gangrẽ. cap. 18. **S**I quis propter continentiam, quæ putatur, aut propter contumaciam in die dominico ieiunat, anathema sit.

De eadem re. Caput XX.

Ex concil. Turonẽ. cap. 57. **S**I quis propter publicam pœnitentiam à sacerdote acceptam, aut pro aliqua necessitate, die dominica velut pro quadam religione, ieiunauerit, sicut Manichæi, anathema sit.

Vt placita secularia in diebus dominicis, & in præcipuis festis, & in diebus ieiuniorum non fiant. Cap. XXI.

Ex concil. apud Ephesfurt, habito, cui interfuit Henricus rex, cap. 2. **P**lacita secularia dominicis diebus vel aliis præcipuis festis, seu etiam in his diebus in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundum canonicam constitutionem immutari non debent, nec fieri decreuimus. Insuper etiam sancta synodus decreuit, vt nulla iudiciaria potestas licentiam habeat, sua autoritate Christianos ad placitum bannire, in supradictis diebus, id est, septem dies ante Natalem domini vsque in octauas Epiphaniæ, & à Quinquagesima vsque in octauas Paschæ, & VII. dies ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, quatenus adeundi Ecclesiam, orationibusque vacandi liberius habeatur facultas.